

*suis in cultiorem orientis partem sive Assyriae sive Mesopotamia, apta
 ferendis agris & colenda vinea concessit, Gen. XI. 2. Ararath igitur
 cujus in excelsa monte substitit arca omnino Armeniam esse Mesopota-
 miae & Assyriae ad septentrionem, in quam filii Sennacheribi profugi 2.
 Reg. XIX. 37. & ap. Josephum Antiq. lib. X. c. II. Porro Montem Ara-
 rath eundem esse seu cum eorum aliquo, quos Graeci Gordiaeos, Gordos
 vocarunt, seu partem aliquam Tauri montis eminentiorem, qui ab
 ortu in occasum Armeniam Cappadociam à Mesopotamiâ, Syria, Cili-
 ciâ dividit. Armeni vocant Mesefousar i. e. montem arcae, omnium
 altissimum & quasi à reliquis Armeniae montibus disjunctum, infra
 quem urbs Nak-sivam i. e. Navis statio, quam à Noacho conditam
 volunt ferè in confiniis Mediae. Cl. Kircherus loco saepe citato post-
 quam Lib. II. cap. XI. p. 158. in Appendice erotematica montem Ara-
 rath à Caucaso & Tauro distinxerat ac inferiorem utroque illò dixe-
 rat, libro sequente cap. 4. p. 185. hæc ponit: Ararath Mons est, ut vul-
 gata lectio habet, Armeniae, non quod is mons sit separatus ab aliis, sed
 quod in iis montanis Ararath, quæ longa jugorum catenatione, à Chal-
 daeis Cardæi montes dicuntur, universam Armeniam Persidemque
 ab occasu ad ortum determinant, Arcæ steterit. Mons est altissimus
 & pænè inaccessus & quemadmodum mihi Patres nostri, ex India
 per Persidem in Europam reduces narrarunt, in tantam longitudinem
 extensus, ut ad ocliduum semper in conspectu habuerint verticem e-
 jus, perpetuâ nivium inveteratarum coacervatione coopertum. Mon-
 tes hi à Ptolomeo vocantur Gordiani, eorumque longitudinem ponit.
 75. grad. 39. grad. latitudinem qui ratione variarum Regionum circum-
 jacentium varias adpellationes sortiti sunt; Siquidem nonnulli cau-
 casum, quidam Taurum dicunt. Persæ & Armeni Arcem Noæ i. e. ha-
 bitationem Noæ adpellant, ob Arcam, quæ in eo quievit. Et mons
 quidem inter altissimos orbis montes unus ab ortu respicit Persidem, ab
 occasu Georgiam, sive Iberiam & Armeniam minorem, à Meridie Ma-
 re Persicum à Boreâ Mare Hircanum seu Caspium, in Medorum Par-
 thorumque regionibus ingentes hydropholacii Lacu à Noa ditatum,
 quod ingentibus fluminibus omnibusque i. e. Euphrati. Tygri, Araxi &
 Hydaspi aliisque originem præbet. Ad hujus montis radices hodiè
 Monasterium Nachsevan, ubi Patriarcha Armenorum residet, exi-
 stit, nobili bibliothecâ, historiis que quâ sacris quâ profanis spectatissi-*